



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Die xviiij. Septembris. In Festo Sancti Josephi A Cupertino
Confessoris, Ordinis Minorum Sancti Francisci
Conventualium**

Paderbornæ, 1770

Lectio IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62850)

cum nuptiali veste non venit, si charitatis gratiam non custodit. Et certè Fratres, si quis ad carnales nuptias esset invitatus, vestem mutaret, congaudere se Sponso, & Sponsæ ex ipso sui habitûs decore ostenderet, inter gaudentes, & festa celebrantes despectis vestibus apparere erubesceret. Nos ad Dei nuptias venimus, & cordis vestem mutare dissimulamus. Congaudent Angeli, cùm ad cœlum assumuntur electi. Quâ ergo mente hæc spiritualia Festa conspiciamus, qui nuptialem vestem, id est charitatem, quæ sola nos speciosos exhibet, non habemus. R. Sint lumbi vestri &c.

Lectio IX.

Sciendum verò est, quia, sicut in duobus lignis, superiore videlicet, & inferiore vestis textitur: ità in duobus præceptis charitas habetur, in dilectione scilicet Dei, & Proximi. Scriptum quippe est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua, & proximum tuum sicut te ipsum. Quia in re notandum est, quia in dilectione Proximi mensura amoris ponitur, cùm dicitur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Dei autem dilectio nullâ mensurâ constringitur, cùm dicitur. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tuâ, ex tota

vir-

virtute tua. Non enim iubetur quisque quantum diligat, sed ex quanto, cum dicitur, ex toto; quia ille veraciter Deum diligit, qui sibi de se nihil relinquit. Duo ergo necesse est ut charitatis præcepta custodiat, quisquis habere in nuptiis vestem nuptialem curat. Te Deum.

Ad Benedictus.

Antiph. Ostendit mihi (Dominus) fluvium aquæ vivæ, splendidum tamquam crystallum procedentem de sede Dei, & Agni.

IN SECUNDIS VESPERIS.

Ad Magnificat.

Antiph. Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam JESU Christi Domini mei.

De præcepto in Univ. Eccl. recitand. ab omnib. Christifidel. tam Secul. quàm Regul. utriusq. Sexûs, qui ad horas Canonic. tenentur, (cum Mis. prop.) ex Decr. Urbis & Orbis edito à Clemente PP. XIV. sub Die 8. Aug. 1769.

Juxta Exemplar Romanum.

Cum Permissu Superiorum.

Paderbornæ Typis & Sumptibus Wilhelmi Junffermann, Typog. Aul. 1770.